



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Præses Morauiaë n. 51

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

haberent, atque fidem in prædicanda Europæ magnificen-
tia, aliter enim ægrè persuadendi Iaponij, &c. Hæc Cassiodo-
rus. Qui cum plures de eisdem Iesuitis calumnias spargeret, quas hæ-
reticale suppeditabat odium, non potuit eorum apud Iaponia in-
colas opinionem summam reticere, dum dicit: Quantum ad fidem
accessit, obtinent Magistratum non in Ecclesiasticos tantum,
sed etiam in politicos: persuadent enim Iapones sibi quæ vo-
lunt, vnde pro Dijs fermè coluntur, tantamque apud Iapo-
nes habent auctoritatem, vt parum absit, quin adorentur pro
sanctis. Hætenus de Iesuitis homo Hæreticus.

Socij apud
Iapones pro
Dijs fermè
coluntur.

Ac pro
Sanctis
adorantur,

50. A LUTHERANIS: Fulde in Germania anno Christi 1585.
fuit Sacerdos magni nominis Concionator, ad quem tota fermè Ciuitas
confluebat; quod & spem faceret Communionis Dominica sub vtra-
que specie restituenda (eam enim sub initium Collegij nostri sustule-
rat Teuthonici Ordinis Magister, & Abbas probitate præstans fun-
dator noster) & familiam nostram insectaretur; vt tantum non ad
heresim vergere eius mens, & Oratio videretur. Hic dum de Sacri-
legis nuptijs, magnorum virorum patrocinio nixus, non minus libere,
quam impudenter agit, repente a quissimo Dei iudicio, mortifero cor-
reptus est morbo. Nostri vt suas iniurias benefactis remunerarentur,
ægro corpori, animoque succurrendum putarunt; hortantur vt se ipse
respiciat, & mediatum facinus detestetur: Quod ille & fecit, & qui
tandem sinceri amici numerarentur, agnouit. Agenti quoque animam
præsto fuerunt, funus curarunt, oratione funebri mortuum, vt solet,
ornarunt, vt admirari se vehementer dicerent Lutherani, Quod Ie-
suitæ & viuis nossent inimicis benefacere, & vita extinctis. Ita
apud P. Anton. Dauroultium in Flor. exemplor. siue in Catechismo
suo Historiali cap. 7. Tract. 92. n. 8.

Eorum
charitas
erga ad-
uersarios
Lutheranis
admiratio-
ni.

51. A MORAVIÆ PRÆSIDE: Cui, cum lege municipali
præciperetur, belli tempore, omnes etiam Dynastas, & ipsum Olomu-
siensem Episcopum ad Prouinciæ fines hostili excursione prohibendos
proficisci, placuit tamen homini licet Hæretico, hoc onere P. Rectorem
Brunensem liberare. Adiecit etiam Verborum honorem: Non esse
apud Iesuitas cessationi locum; (de Scholis loquebatur ille) ne-

Honorifi-
cum de So-
cietate
Scholis te-
stimonium.

que esse dubitandum, quin quotidie tum suorum alumno-
rum, tum discipulorum cuneos in preces propitiando Deo
missuri sint, his enim armis certius à finibus pericula auerti,
quam ferro, & militibus: proinde non esse à tam pio opere
abducendos, neque Prouinciam tam firmo præsidio spolian-
dam. *Hactenus ille in Annal. Soc. ann. 1596. fol. mibi 90.*

Alterum.

AB ANONYMIS HÆRETICIS, *Qui licet amuli Societatis, de
eius eruditione, & doctrina ita detrahunt, vt tamen fateantur, quor-
sum enim quorundam accusationes vergunt, qui aiunt, fore, vt si
Societas in suo territorio pedem figat, aut publicè docere per-
mittatur, corona discipulorum, quæ gloria est Magistri, ad
Societatem deflectat. Ita apud P. Adamum Contzen Polit. lib.
4. cap. 6. §. 14.*



ELO-